



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

Liber quartus. De Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

tionum tuarum, respice in me, & exaudi orationem pauperis servi tui, longè exulantis in regione umbræ mortis.

Protege & conserva animam servuli tui inter tot discrimina vitæ corruptibilis; ac comitante gratiâ tuâ, dirige per viam pacis, ad Patriam perpetuæ claritatis. Amen.



D E

# IMITATIONE CHRISTI

## LIBER QUARTUS.

*De Sacramento.*

Devota Exhortatio ad sacram  
Communionem.

VOX CHRISTI.

**V**ENITE ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, dicit Dominus.

Panis,

Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.

Accipite & comedite, hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

C A P U T I.

*Cum quanta reverentia Christus sit suscipiendus.*

VOX DISCIPULI.

I. **H**Æc sunt verba tua, Christe, Veritas æterna, quamvis non uno tempore prolata, nec uno in loco conscripta.

Quia ergo tua sunt, & vera; grater mihi & fideliter cuncta accipienda.

Tua sunt, & tu ea protulisti: & mea quoque sunt, quia pro salute mea ea edidisti.

Liben-

Libenter suscipio ea ex ore tuo, ut  
arctius inferantur cordi meo.

Excitant me verba tantæ pietatis,  
plena dulcedinis & dilectionis: sed  
terrent me delicta propria; & ad ca-  
pienda tanta mysteria, me reverberat  
impura conscientia.

Provocat me dulcedo verborum  
tuorum, sed onerat multitudo viti-  
orum meorum.

2. Jubes, ut fiducialiter ad te acce-  
dam, si tecum velim habere partem:  
& ut immortalitatis accipiam ali-  
moniam, si æternam cupiam obti-  
nere vitam & gloriam.

Venite, inquis, ad me omnes, qui  
laboratis & onerati estis, & ego refi-  
ciam vos.

O dulce & amicabile verbum in  
aure peccatoris, quòd tu Domine  
Deus meus, egenum & pauperem  
invitas ad communionem tui san-  
ctissimi Corporis.

Sed quis ego sum, Domine, ut ad  
te præsumam accedere?

Ecce cæli cælorum te non capi-  
unt;

unt; & tu dicis: Venite ad me omnes.

3. Quid sibi vult ista piissima dignatio, & tam amicabilis invitatio?

Quomodo ausus ero venire, qui nihil boni mihi conscius sum, unde possim præsumere?

Quomodo te introducam in domum meam, qui sæpius offendi benignissimam faciem tuam?

Reverentur Angeli & Archangeli, metuunt Sancti & Justi; & tu dicis, venite ad me omnes.

Nisi tu Domine hoc diceres, quis verum esse crederet?

Et nisi tu juberes, quis accedere attentaret?

4. Ecce Noe vir justus in arcæ fabrica centum annis laboravit, ut cum paucis salvaretur: & ego quomodo me potero unâ horâ præparare, ut mundi fabricatorem cum reverentia sumam?

Moyse famulus tuus magnus & specialis amicus tuus, arcam ex lignis imputribilibus fecit, quam & mundissimo vestivit auro, ut tabulas Legis

in ea reponeret: & ego putrida creatura, audebo te conditorem legis ac vitæ datorem tam facilè suscipere?

Salomon sapientissimus Regum Israel, Templum magnificum septem annis in laudem Nominis tui ædificavit.

Et octo diebus festum dedicationis ejus celebravit: mille hostias pacificas obtulit: & Arcam fœderis in clangore buccinæ & jubilo in locum sibi præparatum solemniter collocavit.

Et ego infelix & pauperrimus hominum, quomodo te in domum meam introducam, qui vix mediam expendere devotè novi horam? & utinam vel semel dignè ferè mediam!

5. O mi Deus, quantum illi ad placendum tibi agere studuerunt!

Heu quàm pusillum est, quod ago! quàm breve expleo tempus, cum me ad communicandum dispono!

Rarò totus collectus, rarissimè ab omni distractione purgatus.

Et certè in tua salutari Deitatis præ-

præsentia , nulla deberet occurrere indecens cogitatio, nulla etiam occupare creatura : non Angelum , sed Angelorum Dominum suscepturus sum hospitio.

6. Est tamen valde magna distantia inter Arcam fœderis cum suis reliquiis , & mundissimum Corpus tuum cum suis ineffabilibus virtutibus: inter legalia illa sacrificia futurorum præfigurativa , & veram tui Corporis hostiam , omnium antiquorum sacrificiorum completivam.

7. Quare igitur non magis ad tuam venerabilem inardesco præsentiam ?

Cur non majori me præparo sollicitudine ad tua sancta sumenda ; quando illi antiqui sancti Patriarchæ & Prophetæ , Reges quoque & Principes, cum universo populo tantum devotionis demonstrarunt affectum erga cultum divinum ?

8. Saltavit devotissimus Rex David coram Arca Dei totis viribus,

S

reco-

recolens beneficia olim indulta Patribus: fecit diversi generis organa, psalmos edidit, & cantari instituit cum lætitia, cecinit & ipse frequenter in cithara, Spiritus sancti afflatus gratiâ, docuit populum Israel toto corde Deum laudare, & ore confonodiebus singulis benedicere & prædicare.

Si tanta agebatur tunc devotio, ac divinæ laudis extitit recordatio coram Arca testamenti; quanta nunc mihi, & omni Populo Christiano habenda est reverentia & devotio in præsentia Sacramenti, in sumptione excellentissimi Corporis Christi?

9. Currunt multi ad diversa loca pro visitandis Reliquiis Sanctorum; & mirantur auditis gestis eorum ampla ædificia templorum inspiciunt, & osculantur ferreis & auro involuta sacra ossa ipsorum.

Et ecce, tu præsens es hic apud me in altari, Deus meus, Sanctus Sanctorum, Creator hominum, & Dominus Angelorum.

Sæpè



Sæpè in talibus videndis curiositas est hominum, & novitas in-visorum, & modicus reportatur emendationis fructus: maximè ubi est tam levis sine vera contritione discursus.

Hic autem in Sacramento altaris totus præsens es, Deus meus, homo Christus JESUS: ubi & copiosus percipitur æternæ salutis fructus, quotiescunque fueris dignè ac devotè susceptus.

Ad istud verò non trahit levitas aliqua, nec curiosa aut sensualitas: sed firma fides, devota spes, & sincera charitas.

10. O invisibilis conditor mundi Deus, quàm mirabiliter agis nobiscum! quàm suaviter & gratiosè cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in Sacramento sumentium proponis?

Hoc namque omnem intellectum superat, hoc specialiter devotorum corda trahit, & accendit affectum.

Ipsi enim veri fideles tui , qui totam vitam suam ad emendationem disponunt , ex hoc dignissimo Sacramento magnam devotionis gratiam , & virtutis amorem frequenter recipiunt.

11. O admirabilis & abscondita gratia Sacramenti , quam norunt tantum Christi fideles ! infideles autem , & peccatis servientes experiri non possunt.

In hoc Sacramento confertur spiritalis gratia , & reparatur in anima virtus amissa : & per peccatum deformata , redit pulchritudo.

Tanta est aliquando hæc gratia , ut ex plenitudine collatæ devotionis , non tantum mens , sed & debile corpus , vires sibi præstitas sentiat ampliores.

12. Dolendum tamen valde & miserandum super tepiditate & negligentia nostra , quod non majori affectione trahimur ad Christum sumendum : in quo tota spes salvandorum consistit , & meritum.

Ipsè

Ipsè enim est sanctificatio nostra,  
& redemptio : ipse consolatio via-  
torum, & Sanctorum æterna frui-  
tio.

Dolendum itaque valde, quòd  
multi tam parum hoc salutare my-  
sterium advertunt, quod cœlum læ-  
tificat, & mundum conservat uni-  
versum.

Heu cæcitas, & duritia cordis hu-  
mani, tam ineffabile donum non  
magis attendere, & ex quotidiano  
usu etiam ad inadvertentiam deflu-  
ere!

13. Si enim hoc Sanctissimum  
Sacramentum in uno tantum cele-  
braretur loco, & ab uno tantum con-  
secraretur sacerdote in mundo :  
quanto putas desiderio ad illum lo-  
cum, & ad talem Dei Sacerdotem ho-  
mines afficerentur, ut divina myste-  
ria celebrari viderent?

Nunc autem multi facti sunt sa-  
cerdotes, & in multis locis offertur  
Christus, ut tantò major appareat  
gratia, & dilectio Dei ad hominem,

*De Imitatione Christi,*  
 quantò latiùs est sacra Communio  
 diffusa per orbem.

Gratias tibi, JESU bone, pastor  
 æterne, qui nos pauperes & exules  
 dignatus es pretiolo Corpore & San-  
 guine tuo reficere: & ad hæc myste-  
 ria percipienda, etiam proprii oris  
 tui alloquio invitare dicendo: Ve-  
 nite ad me omnes, qui laboratis &  
 onerati estis, & ego reficiam vos.

## C A P U T, II.

*Quòd magna bonitas & cha-  
 ritas Dei in Sacramento ho-  
 mini exhibetur.*

### VOX DISCIPULI.

I. **S**uper bonitate tua & magna  
 misericordia tua, Domine,  
 confisus, accedo æger ad Salvato-  
 rem esuriens & sitiens ad fontem vi-  
 tæ, egenus ad Regem cœli; servus  
 ad Dominum, creatura ad Creato-  
 rem, desolatus ad meum pium con-  
 solatorem.

Sed

Sed unde hoc mihi, ut venias ad me? quis ego sum, ut præstes mihi te ipsum?

Quomodo audet peccator coram te apparere? & tu quomodo dignaris ad peccatorem venire?

Tu nosti servum tuum, & scis, quia nil boni in se habet, unde hoc illi præstes.

Confiteor igitur vilitatem meam, agnosco tuam bonitatem, laudo pietatem, & gratias ago propter nimiam charitatem.

Propter te ipsum enim hoc facis, non propter mea merita: ut bonitas tua mihi magis innotescat, charitas amplior ingeratur, & humilitas perfectius commendetur.

Quid ergo tibi de hoc placet, & tu sic fieri iussisti, placet & mihi dignatio tua; & utinam iniquitas mea non obsistat!

2. O dulcissime & benignissime JESU, quanta tibi reverentia & gratiarum actio cum perpetua laude pro susceptione sacri Corporis tui

debetur, cuius dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur!

Sed quid cogitabo in hac Communionem, in accessu ad Dominum meum, quem debite venerari nequeo, & tamen devote suscipere desidero?

Quid cogitabo melius & salubrius, nisi meipsum totaliter humiliando coram te, & tuam infinitam bonitatem exaltando supra me?

Laudote, Deus meus, & exalto in æternum. Despicio me, & subijicio tibi, in profundum vilitatis meæ.

3. Ecce tu Sanctus Sanctorum, & ego sordes peccatorum.

Ecce tu inclinas te ad me, qui non sum dignus ad te respicere.

Ecce tu venis ad me, tu vis esse mecum, tu invitas ad convivium tuum.

Tu mihi dare vis cœlestem cibum, & panem Angelorum ad manducandum: non alium sanè quàm  
te

te ipsum, panem vivum, qui de cœlo descendisti, & das vitam mundo.

4. Ecce unde dilectio procedit, qualis dignatio illucescit! quàm magnæ gratiarum actiones & laudes tibi pro his debentur!

O quàm salutare & utile consilium tuum, cùm istud instituisti! quàm suave & jucundum convivium, cùm te ipsum in cibum donasti!

O quàm admirabilis operatio tua, Domine! quàm potens virtus tua! quàm infallibilis veritas tua!

Dixisti enim, & facta sunt omnia: & hoc factum est, quod ipse jussisti.

5. Mira res, & fide digna, ac humanum vincens intellectum: quòd tu, Domine Deus meus, verus Deus & homo, sub modica specie panis & vini integer contineris, & sine consumptione à sumente manducaris.

Tu Domine universorum, qui nullius habes indigentiam, voluisti per Sacramentum tuum habitare in nobis.

Conserua cor meum & corpus immaculatum : ut lætâ & purâ conscientia sæpius tua valeam celebrare myſteria, & ad meam perpetuam accipere salutem; quæ ad tuum præcipuè honorem & memoriale perenne ſanxiſti & inſtituiſti.

6. Lætare anima mea, & gratias age Deo pro tam nobili munere & ſolatio ſingulari in hac lacrymarum valle tibi relicto.

Nam quoties hoc myſterium recolis, & Chriſti Corpus accipis : toties tuæ redemptionis opus agis, & particeps omnium meritorum Chriſti efficeris.

Charitas etenim Chriſti nunquam minuitur, & magnitudo propitiati-  
onis ejus nunquam exhauritur.

Ideo nova ſemper mentis renovatione ad hoc diſponere te debes, & magnum ſalutis myſterium attentâ conſideratione penſare.

Ita magnum, novum & jucundum tibi videri debet, cum celebras, aut Miſſam audis; ac ſi eodem die

Chri-



Christus primum in uterum Virgini-  
nis descendens , homo factus esset ;  
aut in cruce pendens , pro salute ho-  
minum pateretur & moreretur.

C A P U T III.

*Quòd utile sit sèpè communicare.*

VOX DISCIPULI.

1. **E**Cce ego ad te venio, Domine  
ut bene mihi sit ex munere  
tuo, & lætificet in convivio sancto  
tuo, quod parasti in dulcedine tua  
pauperi, Deus.

Ecce in te est totum, quod deside-  
rare possum & debeo ; tu salus mea  
& redemptio, spes & fortitudo, de-  
cus & gloria.

Lætifica ergo hodie animam servi  
tui, quoniam ad te, Domine JEsu,  
animam meam levavi.

Desidero te nunc devotè ac reve-  
renter suscipere; cupio te in domum  
meam inducere, quatenus cum  
Zachæo merear à te benedici, ac in-  
ter filios Abrahæ computari.

Ani-

Anima mea Corpus tuum concupiscit, cor meum tecum uniri desiderat.

2. Trade te mihi, & sufficit: nam præter te nulla consolatio valet.

Sine te esse nequeo; & sine visitatione tua vivere non valeo.

Ideoque oportet me frequenter ad te accedere, & in remedium salutis meæ recipere: ne fortè deficiam in via, si fuero cœlesti fraudatus alimonia.

Sic enim tu miseridordissime JESU, prædicans populis, & varios curans languores, aliquando dixisti: Nolo eos jejunos dimittere in domum suam, ne deficient in via.

Age igitur hoc mecum modo, qui te pro fidelium consolatione in Sacramento reliquisti.

Tu es enim suavissima refectio animæ: & qui te dignè manducaverit, particeps & hæres erit æternæ gloriæ.

Necessarium quidem mihi est, qui tam sæpè labor & pecco, tam citò torpescō & deficio, ut per frequentes  
oratio-

orationes & confessiones, ac sacram  
Corporis tui perceptionem, me re-  
novem, mundem, & accendam;  
ne fortè diutiùs abstinendo, à sancto  
proposito defluam.

3. Proni enim sunt sensus homi-  
nis ad malum ab adolescentia sua;  
& nisi succurrat divina medicina,  
labitur homo mox ad pejora.

Retrahit ergo sancta Communio  
à malo, & confortat in bono.

Si enim modò tam sæpè negligens  
sum & tepidus, quando commu-  
nico, aut celebros; quid fieret, si  
medelam non sumerem, & tam  
grande juvamen non quærerem?

Et licèt omni die non sim aptus,  
nec ad celebrandum bene dispositus:  
dabo tamen operam congruis tem-  
poribus divina percipere myste-  
ria, ac tantæ gratiæ participem  
me præbere.

Nam hæc est una principalis fide-  
delis animæ consolatio, quandiu pe-  
regrinatur à te in mortali corpore,  
ut sæpiùs memor Dei sui dilectum

T

suum

suum devotâ suscipiat mente.

4. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio, quòd tu Domine Deus, creator & vivificator omnium spirituum, ad pauperulam dignaris venire animam, & cum tota divinitate tua ac humanitate ejus impinguare esuriem!

O felix mens, & beata anima, quæ te Dominum Deum suum meretur devotè suscipere, & in tui susceptione spirituali gaudio repleti!

O quàm magnum suscipit Dominum, quàm dilectum inducit hospitem, quàm jucundum recipit socium, quàm fidelem acceptat amicum, quàm speciosum & nobilem amplectitur sponsum præ omnibus dilectis, & super omnia desiderabilia amandum!

Sileant à facie tua (dulcissime dilecte meus) cœlum & terra, & omnis ornatus eorum; quoniam quidquid laudis habent ac decoris, ex dignatione tuæ est largitatis, nec ad decorem tui pervenient nominis,

nis, cujus sapientiæ non est numerus.

CAPUT IV.

*Quòd multa bona præstantur devotè communicantibus.*

VOX DISCIPULI.

1. **D**omine DEUS meus, præveni servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuæ, ut ad tuum magnificentum Sacramentum dignè ac devotè merear accedere.

Excita cor meum in te, & à gravi torpore exue me. Visita me in salutari tuo ad gustandam in spiritu suavitatem tuam, quæ in hoc Sacramento, tanquam in fonte, plenariè lateat.

Illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum mysterium, & ad credendum illud indubitata fide me roborata.

Est enim operatio tua, non hu-

mana potentia : tua sacra institutio,  
non hominis adinventio.

Non enim ad hæc capienda & intelligenda aliquis idoneus per se reperitur, quæ angelicam etiam subtilitatem transcendunt.

Quid ergo ego peccator indignus, terra & cinis, de tam alto sacro secreto potero investigare & capere?

2. Domine, in simplicitate cordis mei, in bona firma fide, & in tua iussione, ad te cum spe ac reverentia accedo : quia tu præsens es hic in Sacramento, Deus & Homo.

Vis ergo, ut te suscipiam, & me ipsum tibi in charitate uniam.

Unde tuam precor clementiam, & specialem ad hoc imploro mihi donari gratiam; ut totus in te liquefiam & amore pereffluam, atque de nulla aliena consolatione amplius me intromittam.

Est enim hoc altissimum & dignissimum Sacramentum, salus animæ & corporis, medicina omnium  
spiri-

spiritualis languoris : in quo vitia  
mea curantur , passiones frænân-  
tur , tentationes vincuntur aut mi-  
nuuntur : gratia major infundi-  
tur , virtus incepta augetur , fir-  
matur fides , spes roboratur , &  
charitas ignescit ac dilatatur.

3. Multa namque bona largi-  
tus es , & adhuc sæpius largiris  
in Sacramento dilectis tuis devo-  
tè communicantibus , Deus meus,  
susceptor animæ meæ , reparator  
infirmitatis humanæ , & totius da-  
tor consolationis internæ.

Nam multam ipsis consolatio-  
nem adversus variam tribulatio-  
nem infundis , & de imo dejectio-  
nis propriæ ad spem tuæ protectio-  
nis erigis , atque nova quadam  
gratia eos intus recreas & illustras :  
ut qui anxii primum , & sine affe-  
ctione se ante Communionem sen-  
serant ; postea resecti cibo potuque  
cœlesti , in meliùs se mutatos in-  
veniant.

Quod idcirco cum electis tuis  
T 3 dispen-

dispensanter agis, ut veraciter agnoscant, & patenter experiantur, quantum infirmitatis ex se ipsis habeant, & quid bonitatis ac gratiæ ex te consequantur.

Quia ex semetipsis frigidi, duri, & indevoti: ex te autem ferventes, alacres, & devoti esse merentur.

Quis enim ad fontem suavitatis humiliter accedens, non modicum suavitatis inde reportat?

At quis juxta copiosum ignem stans, non parum caloris inde percipit?

Et tu fons es semper plenus & superabundans, ignis jugiter ardens, & nunquam deficiens.

4. Unde si mihi non licet haurire de plenitudine fontis, nec usque ad satietatem potare, apponam tamen os meum ad foramen cœlestis fistulæ: ut saltem modicam inde guttulam capiam ad refocillandam sitim meam, & non penitus exarescam.

Et si necdum totus cœlestis & tam  
igni-



ignitus, ut Cherubim & Seraphim,  
esse possum, conabor tamen devoti-  
oni insistere, & cor meum præpara-  
re, ut vel modicam divini incendii  
flammam, ex humili sumptione vi-  
vifici Sacramenti conquiram.

Quidquid autem mihi deest JESU  
bone, Salvator sanctissime, tu pro  
me supple benignè ac gratiosè, qui  
omnes ad te dignatus es vocare,  
dicens: Venite ad me omnes, qui la-  
boratis & onerati estis, & ego refi-  
ciam vos.

Ego quidem laboro in sudore  
vultus mei, dolore cordis torque-  
or, peccatis oneror, tentationibus  
inquietor, multis malis passionibus  
implicor & premor: & non est, qui  
adjuvet, non est, qui liberet & sal-  
vum faciat, nisi tu Domine Deus  
Salvator meus: cui committo me &  
omnia mea, ut me custodias, & per-  
ducas in vitam æternam.

Suscipe me in laudem & gloriam  
Nominis tui, qui Corpus tuum &  
Sanguinem in cibum & potum mihi  
parasti.

T 4

Præsta

Præsta Domine Deus salutaris  
meus, ut cum frequentatione my-  
sterii tui crescat devotionis affectus.

## C A P U T V

De dignitate Sacramenti, &  
statu sacerdotali.

## V O X D I L E C T I.

I. **S**I haberes angelicam purita-  
tem, & sancti Joannis Bapti-  
stæ sanctitatem; non esses dignus  
hoc Sacramentum accipere, nec  
tractare.

Non enim hoc meritis debetur  
hominum, quòd homo consecret  
& tractet Christi Sacramentum, &  
sumat in cibum panem Angelorum.

Grande mysterium, & magna di-  
vinitas Sacerdotum: quibus datum  
est, quod Angelis non est conces-  
sum.

\*Soli namque Sacerdotes ritè in Ec-  
clesia ordinati, potestatem habent  
celebrandi, & Corpus Christi conse-  
crandi.

Sacerdos quidem minister est  
DEI,

DEI, utens verbo DEI, per iustitiam & institutionem DEI: DEUS autem ibi principalis est auctor, & invisibilis operator, cui subest omne, quod voluerit, & paret omne quod iusserit.

2. Plus ergo credere debes DEO omnipotenti, in hoc excellentissimo Sacramento, quàm proprio sensui aut alicui signo visibili.

Ideoque cum timore & reverentia ad hoc opus est accedendum.

Attende tibi, & vide, cujus ministerium tibi traditum est per impositionem manûs Episcopi.

Ecce sacerdos factus es, & ad celebrandum consecratus: vide nunc, ut fideliter & devotè in suo tempore Deo sacrificium offeras, & teipsum irreprehensibilem exhibeas.

Non alleviasti onus tuum, sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinæ, & ad majorem teneris perfectionem sanctitatis.

Sacerdos omnibus virtutibus debet

bet esse ornatus, & aliis bonæ vitæ exemplum præbere.

Ejus conversatio non cum popularibus & communibus hominum viis, sed cum Angelis in cælo, aut cum perfectis viris in terra.

3. Sacerdos sacris vestibus indutus, Christi vices gerit, ut Deum pro se & pro omni populo suppliciter & humiliter roget.

Habet ante se & retro Dominicæ Crucis signum ad memorandam jugiter Christi passionem.

Ante se crucem in casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat, & sequi ferventer studeat.

Post se cruce signatus est, ut adversa quælibet ab aliis illata clementer pro Deo toleret.

Ante se crucem gerit, ut propria peccata lugeat. Post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat, & se medium inter Deum & peccatorem constitutum esse sciat.

Nec ab oratione & oblatione sancta torpescat, donec gratiam & misericordiam

sericordiam impetrare mereatur.

Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, & se omnium bonorum participem efficit.

CAPUT VI.

*Interrogatio de exercitio ante  
Communionem.*

VOX DISCIPULI.

1. **C**Um tuam dignitatem, Domine, & meam vilitatem penso, valde contremisco, & in me ipso confundor.

Si enim non accedo, vitam fugio: & si indignè me ingessero, offensam incurro.

Quid ergo faciam, Deus meus, auxiliator meus, & consiliator in necessitatibus?

2. Tu doce me viam rectam: propone breve aliquod exercitium, sacræ Communioni congruum.

T 6

Utile

Utile est enim scire qualiter scilicet devotè ac reverenter tibi præparare debeam cor meum, ad recipiendum salubriter tuum Sacramentum, seu etiam celebrandum tam magnum & divinum sacrificium.

## C A P U T VII.

*De discussione propria conscientia, & emendationis proposito.*

### V O X D I L E C T I.

1. **S**uper omnia, cum humilitate cordis & supplici reverentia, cum plena fide & pia intentione honoris Dei, ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum & sumendum, oportet Dei accedere Sacerdotem.

Diligenter examina conscientiam tuam: & pro posse tuo, verâ contritione & humili confessione eam munda & clarifica: ita ut nil grave habeas, aut scias, quod te remordeat, & liberum accessum impediat.

Habeas

Habeas displicentiam omnium peccatorum tuorum in generali, & pro quotidianis excessibus magis in speciali doleas & gemas,

Et si tempus patitur, Deo in secreto cordis cunctas confitere passionum tuarum miserias.

2. Ingemisce & dole, quòd adhuc ita carnalis sis & mundanus: tam immortificatus à passionibus: tam plenus concupiscentiarum motibus:

Tam incustoditus in sensibus exterioribus: tam sæpè multis vanis phantasiis implicatus:

Tam multum inclinatus ad exteriora: tam negligens ad interiora:

Tam levis ad risum & dissolutionem: tam durus ad fletum & compunctionem:

Tam promptus ad laxiora, & carnis commoda: tam segnis ad rigorem & fervorem:

Tam curiosus ad nova audienda, & pulchra intuenta: tam remissus ad humilia & abjecta amplectenda:

Tam cupidus ad multa habenda :  
tam parcus ad dandum : tam tenax  
ad retinendum :

Tam inconsideratus in loquendo :  
tam incontinens in tacendo :

Tam incompositus in moribus :  
tam importunus in actibus :

Tam effusus super cibum : tam  
surdus ad Dei verbum :

Tam velox ad quietem : tam tar-  
dus ad laborem :

Tam vigilans ad fabulas : tam  
somnia ad vigilias sacras :

Tam festinus ad finem : tam vagus  
ad attendendum.

Tam negligens in Horis perfol-  
vendis : tam tepidus in celebrando :  
tam aridus in communicando :

Tam citò distractus : tam rarò ple-  
nè tibi collectus :

Tam subitò commotus ad iram :  
tam facilis ad alterius displicentiam :

Tam pronus ad iudicandum :  
tam rigidus ad arguendum :

Tam lætus ad prospera : tam de-  
bilis in adversis.

Tam



Tam sæpè multa bona proponens,  
& modicum ad effectum perdu-  
cens.

3. His & aliis defectibus tuis, cum  
dolore & magna displicentia pro-  
pria infirmitatis confessis ac deplo-  
ratis firmum statue propositum  
semper emendandi vitam tuam, &  
in melius proficiendi.

Deinde cum plena resignatione &  
integra voluntate, offer te ipsum  
in honorem nominis mei, in ara  
cordis tui holocaustum perpetuum;  
corpus tuum scilicet, & animam  
mihî fideliter committendo;

Quatenus & sic dignè merearis ad  
offerendum Deo sacrificium ac-  
cedere, & Sacramentum Corpo-  
ris mei salubriter suscipere.

4. Non est enim oblatio dignior,  
& satisfactio major pro peccatis  
diluendis, quàm se ipsum purè & in-  
tegrè, cum oblatione Corporis Chri-  
sti, in Missâ & in Communione Deo  
offerre.

Si fecerit homo, quod in se est,  
&

& verè pœnituerit : quotiescunque pro venia & gratia ad me accesserit : Vivo ego , dicit Dominus , qui nolo mortem peccatoris , sed ut magis convertatur & vivat : quoniam peccatorum suorum non recordabor ampliùs , sed cuncta sibi indulta erunt.

### C A P U T VIII.

*De oblatione Christi in cruce , & propria resignatione.*

#### VOX DILECTI.

1. **S**icut ego me ipsum expansis in cruce manibus ; & nudo corpore , pro peccatis tuis Deo Patri sponte obtuli ; ita ut nihil in me remaneret , quin totum in sacrificium divinæ placationis transfiret !

Ita debes & tu temetipsum mihi voluntariè in oblationem puram & sanctam , quotidie in Missa , cum omnibus viribus & affectibus tuis , quantò intimiùs vales , offerre.

Quid

Quid magis à te requiro, quàm ut te studeas mihi ex integro resignare?

Quidquid præter te ipsum das, nihil curo : quia non quæro datum tuum, sed te.

2. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis præter me : ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato.

Offer te mihi, & da totum pro Deo, & erit accepta oblatio.

Ecce, ego me totum obtuli Patri pro te, dedi etiam totum Corpus meum & Sanguinem in cibum, ut totus tuus essem, & tu meus permaneres.

Si autem in te ipso steteris, nec sponte te ad voluntatem meam obtuleris, non est plena oblatio, nec integra erit inter nos unio.

Igitur omnia opera tua præcedere debet spontanea tui ipsius in manibus Dei oblatio, si libertatem consequi vis & gratiam.

Ideo enim tam pauci illuminati  
&

& liberi intus efficiuntur, quia se ipsos ex toto abnegare nesciunt.

Est firma sententia mea: Nisi quis renuntiaverit omnibus, non potest meus esse discipulus. Tu ergo si optas meus esse discipulus, offer te ipsum mihi, cum affectionibus tuis.

### C A P U T IX.

*Quod nos & omnia nostra Deo debemus offerre, & pro omnibus orare.*

#### VOX DISCIPULI.

I. **D**omine, omnia tua sunt, quæ in cælo sunt, & quæ in terra.

Desidero me ipsum tibi in spontaneam oblationem offerre, & tuus perpetuè permanere.

Domine, in simplicitate cordis mei offero me ipsum tibi hodie in servum sempiternum, in obsequium & in sacrificium laudis perpetuæ.

Suscipe

Suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi Corporis, quam tibi hodie in presentia Angelorum invisibiliter assistentium offero, ut sit pro me & pro cuncto populo tuo in salutem.

2. Domine, offero tibi omnia peccata & delicta mea, quæ commisi coram te & sanctis Angelis tuis, à die quo primum peccare potui usque ad horam hanc, super placabili altari tuo, ut tu omnia pariter incendas & comburas igne charitatis tuæ, & deleas universas maculas peccatorum meorum? & conscientiam meam ab omni delicto emundes, & restituas mihi gratiam tuam, quam peccando amisi, omnia mihi plenè indulgendo, & in osculum pacis me misericorditer assumendo.

3. Quid possum agere pro peccatis meis, nisi humiliter ea confitendo & lamentando, & tuam propitiationem incessanter deprecando?

Deprecor te, exaudi me propitius,

pitius, ubi asto coram te Deus meus.

Omnia peccata mea mihi maxime displicent, nolo ea unquam amplius perpetrare : sed pro eis doleo, & dolebo, quandiu vixero, paratus pœnitentiam agere, & pro posse satisfacere.

Dimitte mihi Deus, dimitte mihi peccata mea, propter nomen sanctum tuum : salva animam meam, quam pretioso Sanguine tuo redemisti.

Ecce committo me misericordiæ tuæ, resigno me manibus tuis.

Age mecum secundum bonitatem tuam, non secundum meam malitiam & iniquitatem.

4. Offero etiam tibi omnia bona mea, quamvis valde pauca & imperfecta ; ut tu ea emendes & sanctifices ; ut ea grata babeas, & accepta tibi facias, & semper ad meliora trahas ; nec non ad beatum ac laudabilem finem me pigrum & inutilem homuncionem perducas.

5. Offero quoque tibi omnia pia  
desi-

desideria devotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum, omniumque charorum meorum, & eorum, qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt:

Et qui Orationes & Missas pro se suisque omnibus dici à me desideraverunt & petierunt; sive in carne adhuc vivant, sive jam sæculo defuncti sint:

Ut omnes sibi auxilium gratiæ tuæ, opem consolationis, protectionem à periculis, liberationem à pœnis advenire sentiant; & ut ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas læti persolvant.

6. Offero etiam tibi preces & hostias placationis, pro illis specialiter qui me in aliquo læserunt, contristaverunt, aut vituperaverunt, vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt:

Pro his quoque omnibus quos aliquando contristavi, conturbavi, gravavi, & scandalizavi, verbis, factis,

factis, scienter vel ignoranter: ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra & mutuas offensiones.

Aufer, Domine, à cordibus nostris omnem suspensionem, indignationem, iram & disceptationem, & quidquid potest charitatem lædere, & fraternam dilectionem minuire.

Miserere, miserere Domine, misericordiam tuam poscentibus, de gratiam indigentibus; & fac nos tales existere, ut simus digni gratiâ tuâ perfrui, & ad vitam proficiamus æternam. Amen.

### CAPUT X.

*Quòd sacra communio de facili non est relinquenda.*

### VOX DILECTI.

I. **F**Requenter recurrendum est ad fontem gratiæ & divinæ misericordiæ, ad fontem bonitatis & totius puritatis: quatenus à passionibus



nibustuis & vitiis curari valeas ; & contra universas tentationes & fallacias diaboli fortior atque vigilantior effici merearis.

Inimicus sciens fructum & remedium maximum in sacra Communionem positum, omnimodo & occasione nititur fideles & devotos, quantum prævalet retrahere & impedire.

2. Cùm enim quidam sacræ Communioni se aptare disponunt, peiores fatanæ immisiones patiuntur.

Ipse nequam spiritus ( ut in Job scribitur ) venit inter filios Dei, ut solitâ illos nequitiâ suâ perturbet, aut timidos nimium reddat & perplexos : quatenus affectum eorum minuat, vel fidem impugnando auferat : si fortè aut omnino Communionem relinquunt, aut cum tepore accedant.

Sed non est quidquam curandum de versutiis & phantasiis illius, quantumlibet turpibus & horridis ;

ridis ; sed cuncta phantasmata in caput ejus sunt retorquenda.

Contemnendus est miser & deridendus : nec propter insultus ejus & commotiones quas suscitatur , sacra est omittenda Communio.

3. Sæpè etiam impedit nimia sollicitudo pro devotione habenda , & anxietas quædam de confessione facienda.

Age secundum consilium sapientium , & depone anxietatem & scrupulum : quia gratiam Dei impedit , & devotionem mentis destruit.

Propter aliquam parvam turbationem vel gravitatem , sacramentum ne dimittas Communionem : sed valde citius confiteri , & omnes offensiones aliis libenter indulge.

Si verò tu aliquem offendisti , veniam humiliter precare , & Deus libenter indulget tibi.

Quid prodest diu tardare confessionem , aut sacramentum differre Communionem ?

Expurga te cum primis , expue  
velo

velociter venenum, festina accipere  
remedium, & senties melius, quàm  
si diu distuleris.

Si hodie propter istud dimittis,  
cras forsitan aliud majus eveniet:  
& sic diu posses à Communionem im-  
pediri, & magis ineptus fieri.

Quantò citius vales, à præsentem gra-  
vitate & inertia te excutias: quia ni-  
hil importat diu anxari, diu cum  
turbatione transire, & ob quo-  
tidiana obstacula se à divinis seque-  
strare.

Imò plurimum nocet, diu Com-  
munionem protelare; nam & gra-  
vem torporem consuevit inducere.

Proh dolor! quidam tepidi & dis-  
soluti moras confitendi libenter  
accipiunt, & Communionem sa-  
cram idcirco differri cupiunt, ne ad  
majorem sui custodiam se dare te-  
neantur.

5. Heu, quàm modicam charita-  
tem, & debilem devotionem ha-  
bent, qui sacram Communionem  
tam faciliter postponunt!

V

Quàm

Quàm felix ille & Deo acceptus habetur qui sic vivit, & in tali puritate conscientiam suam custodit, ut etiam omni die communicare paratus, & bene affectatus esset, si ei liceret, & sine nota agere posset!

Si quis interdum abstinet humilitatis gratiâ, aut legitimâ impediente causâ, laudandus est de reverentia.

Si autem torpor obrepserit, se ipsum excitare debet, & facere, quod in se est; & Dominus aderit desiderio suo pro bona voluntate, quam specialiter respicit.

6. Cùm verò legitimè præpeditus est, habebit semper bonam voluntatem & piam intentionem communicandi, & sic non carebit fructu Sacramenti.

Potest enim quilibet devotus, omni die & omni hora, ad spiritualem Christi Communionem salubriter & sine prohibitione accedere:

Et tamen certis diebus & statuto tempore Corpus sui Redemptoris,

ris,

ris, cum affectuosa reverentia sacramentaliter debet suscipere; & magis laudem Dei & honorem præterdere, quàm suam consolationem quærere.

Nam toties mysticè communicat & invisibiliter reficitur, quoties Incarnationis Christi mysterium passionemque devotè recolit, & in amore ejus accenditur.

7. Qui aliter se non præparat, nisi instante festo, vel ex consuetudine compellente, sæpius imparatus erit.

Beatus, qui se Domino in holocaustum offert, quoties celebrat aut communicat.

Non sis in celebrando nimis prolixus aut festinus, sed serva bonum communem modum cum quibus vivis.

Non debes aliis generare molestiam & tædium, sed communem servare viam secundùm majorum institutionem: & potius aliorum servire utilitati, quàm propriæ devotioni vel affectui.

## CAPUT XI.

*Quòd Corpus Christi , & sacra Scrip-  
tura maxime sint anima fidei  
necessaria.*

## VOX DISCIPULI.

I. **O** Dulcissime Domine JESU,  
quanta est dulcedo devotæ  
animæ, tecum epulantis in convivio  
tuo ; ubi ei non alius cibus man-  
ducandus proponitur , nisi tu uni-  
cus dilectus ejus , super omnia  
desideria cordis ejus desiderabilis!

Et mihi quidem dulce foret ,  
in præsentia tua ex intimo affectu  
lacrymas fundere, & cum pia Mag-  
dalena pedes tuos lacrymis irrigare.

Sed ubi est hæc devotio ? ubi la-  
crymarum sanctarum copiosa effu-  
sio?

Certè in conspectu tuo & sancto-  
rum Angelorum tuorum , totum  
cor meum ardere deberet, & ex gau-  
dio flere.

Habeo enim te in Sacramento  
verè

verè præsentem , quamvis alienâ specie occultatum.

2. Nam in propria & divina claritate te conspicere , oculi mei ferre non possent : sed neque totus mundus in fulgore gloriæ majestatis tuæ subsisteret.

In hoc ergo imbecillitati meæ consultis , quòd te sub Sacramento abscondis.

Habeo verè & adoro , quem Angeli adorant in cælo , sed ego adhuc interim in fide , illi autem in specie & sine velamine.

Me oportet contentum esse in lumine veræ fidei , & in ea ambulare , donec aspiret dies æternæ claritatis , & umbræ figurarum inclinentur.

Cum autem venerit quod perfectum est , cessabit usus Sacramentorum ; qui Beati in gloria cœlesti non egent medicamine Sacramentali.

Gaudent enim sine fine in præsentia Dei , facie ad faciem gloriam ejus specularantes ; & de claritate in

claritatem abyſſalis Deitatis transformati, gustant Verbum Dei caro factum, sicut fuit ab initio & manet in æternum.

3. Memor horum mirabilium, grave mihi fit tædium, etiam quodlibet spirituale solatium: quia quamdiu Dominum meum aperte in sua gloria non video, pro nihilo duco omne, quod in mundo conspicio & audio.

Testis es tu mihi Deus, quod nulla res me potest consolari, nulla creatura quietare, nisi tu Deus meus, quem desidero æternaliter contemplari.

Sed non est hoc possibile, durante me in hac mortalitate.

Ideo oportet, ut me ponam ad magnam patientiam, & me ipsum in omni desiderio tibi submittam.

Nam & sancti tui, Domine, qui tecum jam in regno cœlorum exultant, in fide & patientia magna, dum viverent, adventum gloriæ  
tuæ



tux expectabant. Quod illi crediderunt, ego credo: Quod illi spectaverunt, ego spero: quod illi pervenerunt, per gratiam tuam me venturum confido.

Ambulabo interim in fide, exemplis confortatus Sanctorum.

Habebo etiam Libros sanctos pro solatio & vitæ speculo, atque super hæc omnia, sanctissimum Corpus tuum pro singulari remedio & refugio.

4. Duo namque mihi necessaria permaximè sentio in hac vita, sine quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vita.

In carcere corporis hujus detentus duobus me agere fateor, cibo scilicet & lumine.

Dedisti itaque mihi infirmo sacram Corpus tuum ad refectionem mentis & corporis: & posuisti lucernam pedibus meis, verbum tuum.

Sine his duobus bene vivere non possem: nam verbum Dei, lux

animæ meæ ! & Sacramentum tuum, panis vitæ.

Hæc possunt etiam dici mensæ duæ, hinc & inde in gazophylacio sanctæ Ecclesiæ positæ.

Una mensa est sacri Altaris, habens panem sanctum, id est, Corpus Christi pretiosum.

Altera est divinæ Legis, continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, & firmiter usque ad interiora velaminis, ubi sunt Sancta Sanctorum, perducens.

Gratias tibi, Domine Jesu, lux lucis æternæ, pro doctrinæ sacræ mensa, quam nobis per servos tuos Prophetas & Apostolos, aliosque Doctores administrasti.

5. Gratias tibi Creator ac Redemptor hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem tuam, cœnam parasti magnam, in qua non agnum typicum, sed tuum sanctissimum Corpus & Sanguinem proposuisti manducandum; lætificans omnes fideles convivio

vivio

vivio sacro, & calice inebrians salu-  
tari, in quo sunt omnes deliciae pa-  
radisi, & epulantur nobiscum  
Angeli sancti, sed suavitate felici-  
ori.

6. O quàm magnum & honora-  
bile est officium Sacerdotum, qui-  
bus datum est Dominum majestatis  
verbis sacris consecrare, labiis bene-  
dicere, manibus tenere, ore pro-  
prio sumere, & cæteris ministrare!

O quàm mundæ debent esse ma-  
nus illæ, quàm purum os, quàm  
sanctum corpus, quàm immacu-  
latum cor erit Sacerdotis, ad  
quem toties ingreditur Auctor pu-  
ritatis!

Ex ore Sacerdotis nihil nisi san-  
ctum, nihil nisi honestum & utile  
procedere debet verbum, qui tam  
sæpè Christi accipit Sacramentum.

7. Oculi ejus simplices & pudici,  
qui Christi Corpus solent intueri.  
Manus puræ, & in cælum elevatæ,  
quæ Creatorem cæli & terræ solent  
contrectare.

Sacerdotibus specialiter in Lege dicitur: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.

8. Adjuvet nos gratia tua omnipotens Deus, ut qui officium sacerdotale suscepimus, dignè ac devotè tibi in omni puritate & conscientia bona famulari valeamus.

Et si non possumus in tanta innocentia vitæ conversari, ut debemus: concede nobis tamen dignè flere mala, quæ gessimus; & in spiritu humilitatis, ac bonæ voluntatis proposito, tibi ferventiùs de cætero deservire.

## C A P U T XII.

*Quòd magnâ diligentia se debeas  
communicaturus Christo præ-  
parare.*

### VOX DILECTI.

1. **E**GO sum puritatis amator,  
& dator omnis sanctitatis.

Ego cor purum quæro, & ibi est  
locus requietionis meæ.

Para

Para mihi cœnaculum grande  
stratum, & faciam apud te Pascha  
cum discipulis meis.

Si vis, ut veniam ad te, & apud  
te maneam: expurga vetus fermentum,  
& munda cordis tui habitaculum.

Exclude totum sæculum, & omnem  
vitiorum tumultum: sede tanquam  
passer solitarius in tecto, & cogita  
excessus tuos in amaritudine  
animæ tuæ.

Omnis namque amans suo dilecto  
amatori optimum & pulcherrimum  
præparat locum, quia in hoc cognoscitur  
affectus suscipientis dilectum.

2. Scito tamen te non posse satisfacere  
huic præparationi ex merito tuæ actionis,  
etiamsi per integrum annum te præparares,  
& nihil aliud in mente haberes.

Sed ex sola pietate & gratia mea  
permitteris ad mensam meam accedere:  
ac si mendicus ad prandium vocaretur  
divitis, & ille nihil aliud

aliud habeat ad retribuendum beneficiis eius, nisi se humiliando & ei regratiando.

Fac quod in te est, & diligenter facito: non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore, & reverentia, & affectu, accipe Corpus dilecti Domini Dei tui, dignantis ad te venire.

Ego sum, qui vocavi, ego iussi fieri, ego supplebo, quod tibi deest: veni, & suscipe me.

3. Cum gratiam devotionis tribuo, gratias age Deo tuo: non quia dignus es, sed quia tui misertus sum.

Si non habes, sed magis aridum te sentis, insiste orationi, ingemisce & pulsa: nec desistas, donec merearis micam aut guttam gratiæ salutaris accipere.

Tu mei indiges, non ego tui indigeo.

Nec tu me sanctificare venis, sed ego te sanctificare & meliorare venio.

Tu

Tu venis, ut ex me sanctificeris,  
& mihi uniaris; ut novam gratiam  
recipias, & de novo ad emendatio-  
nem accendaris.

Noli negligere hanc gratiam: sed  
præpara cum omni diligentia cor  
tuum & introduc ad te dilectum tu-  
um.

4. Oportet autem ut non solum  
te præpares ad devotionem ante  
Communionem, sed ut etiam te  
sollicitè conserves in ea post Sacra-  
menti perceptionem. Nec minor  
custodia post exigitur, quàm de-  
vota præparatio prius. Nam bona  
postmodum custodia, optima ite-  
rum est præparatio ad majorem  
gratiam consequendam.

Ex eo quippe valde indispositus  
quis redditur, si statim fuerit nimis  
effusus ad exteriora solatia.

Cave à multiloquio, mane in se-  
creto, & fruire Deo tuo: ipsum enim  
habet, quem totus mundus tibi au-  
ferre non potest.

Ego sum, cui t e totum dare debet:

X

ita

ita ut jam ultrà non in te sed in me  
absque omni sollicitudine vivas.

C A P U T XIII.

*Quòd toto corde anima devota Chri-  
sti unionem in Sacramento asse-  
ctare debet.*

VOX DISCIPULI.

I. **Q**uis mihi det Domine, ut inve-  
niam te solùm, & aperiam  
tibi totum cor meum, & fruam te,  
sicut desiderat anima mea: & jam  
me nemo despiciat, nec ulla creatura  
me moveat vel respiciat, sed tu solus  
mihi loquaris, & ego tibi, sicut solet  
dilectus ad dilectum loqui, & amicus  
cum amico convivari?

Hoc oro, hoc desidero, ut tibi to-  
tùs uniar, & cor meum ab omnibus  
creatis rebus abstraham, magisque  
per sacram Communionem ac fre-  
quentem celebrationem, cœlestia &  
æterna sapere discam.

Ah Domine Deus, quando ero te-  
cum totus unitus, & absorptus, mei-  
que totaliter oblitus?

Tu



Tu in me, & ego in te; & sic nos  
pariter in unum manere concede.

2. Verè tu es dilectus meus, electus  
ex millibus, in quo complacuit ani-  
mæ meæ habitare omnibus diebus  
vitæ suæ.

Verè tu pacificus meus, in quo pax  
summa & requies vera, extra quem  
labor & dolor, & infinita miseria.

Verè tu es Deus absconditus, &  
consilium tuum non est cum impiis,  
sed cum humilibus & simplicibus  
sermo tuus.

O quàm suavis est Domine, spiri-  
tus tuus, qui ut dulcedinem tuam in  
filios demonstrares, pane suavissimo  
de cælo descendente, illos reficere  
dignaris!

Verè non est alia natio tam gran-  
dis, quæ habeat Deos appropinquan-  
tes sibi, sicut tu Deus noster ades uni-  
versis fidelibus tuis; quibus ob quo-  
tidianum solatium, & cor erigen-  
dum in cælum, te tribuis ad eden-  
dum & fruendum.

3. Quæ est enim alia gens tam in-

X 2

clyta

364 *De Imitatione Christi*  
clyta, sicut plebs Christiana?

Aut quæ creatura sub cœlo tam dilecta, ut anima devota, ad quam ingreditur Deus, ut pascat eam carne sua gloriosa?

O ineffabilis gratia! ô admirabilis dignatio! ô amor immensus homini singulariter impensus?

Sed quid retribuam Domino pro gratia ista, pro charitate tam eximia?

Non est aliud, quod gratius donare queam, quàm ut cor meum Deo meo totaliter tribuam, & intimè jungam.

Tunc exultabunt omnia interiora mea, cùm perfectè fuerit unita Deo anima mea.

Tunc dicet mihi: Si tu vis esse mecum, ego volo esse tecum. Et ego respondebo illi: Dignare Domine manere mecum, ego volo libenter esse tecum.

Hoc est totum desiderium meum ut cor meum tibi sit unitum.

CA-

## CAPUT XIV.

*De quorundam devotorum ardenti desiderio ad Corpus Christi.*

## VOX DISCIPULI.

I. **O** Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! Quando recordor devotorum aliquorum ad Sacramentum tuum, Domine, cum maxima devotione & affectu accedentium, tunc sæpiùs in me ipso confundor & erubesco : quòd ad altare tuum, & sacræ Communionis mensam, tam tepidè & frigidè accedo.

Quòd ita aridus, & sine affectione cordis maneo : quòd non sum totaliter accensus coram te Deo meo : nec ita vehementer attractus & affectus sicut multi devoti fuerunt, qui præ nimio desiderio Communionis, & sensibili cordis amore, à fletu se non potuerunt continere.

Sed ore cordis & corporis pariter ad te Deum fontem vivum medullitùs inhiabant, suam esuriem non va-

lentes aliter temperare nec satiare, nisi Corpus tuum cum omni iucunditate & spirituali aviditate accepissent.

2. O vera ardens fides eorum, & probabile existens argumentum sacrae praesentiae tuae!

Illi enim veraciter cognoscunt Dominum suum in fractione panis, quorum cor tam validè ardet in eis, de Jesu ambulante cum eis.

Longè est à me saepe talis affectus & devotio, tam vehemens amor & ardor.

Esto mihi propitius, Jesu bone, dulcis & benigne: & concede pauperi mendico tuo, vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire, ut fides mea magis convalescat; spes in bonitate tua proficiat & charitas semel perfectè accensa, & coeleste manna experta, nunquam deficiat.

3. Potens est autem misericordia tua, etiam gratiam desideratam mihi praestare, & in spiritu ardoris cum dies beneplaciti tui venerit, me clementissimè visitare. Ete-

Etenim licet tanto desiderio tam specialium devotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua, illius magni inflammati desiderii desiderium habeo, orans & desiderans, omnium talium fervidorum amorum tuorum participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari.

## CAPUT XV.

*Quòd gratia devotionis humilitate & sui ipsius abnegatione acquiritur.*

## VOX DILECTI.

1. **O**portet te devotionis gratiam instanter quærere, desideranter petere, patienter & fiducialiter expectare, humiliter conservare, studiosè cum ea operari, ac Deo terminum & modum supernæ visitationis, donec veniat, committere.

Humiliare præcipuè te debes, cum parum aut nihil devotionis interiùs sentis; sed non nimium dejici, nec inordinatè contristari.

Dat sæpè Deus in uno brevi mo-

mento , quod longo negavit tempore.

Dat quandoque in fine , quod in principio orationis distulit dare.

2. Si semper citò gratia daretur, & pro voto adesset, non esset infirmo homini bene portabile.

Propterea in bona spe, & humilipatentia, expectanda est devotionis gratia. Tibi tamen & peccatis tuis imputa, cum non datur, veletiam occultè tollitur.

Modicum quandoque est, quod gratiam impedit & abscondit; si tamen modicum, & non potius grande dici debeat, quod tantum bonum prohibet.

Et si hoc ipsum modicum vel grande amoveris, & perfectè viceris, erit, quod petisti.

3. Statim namque ut te Deo ex toto corde tradideris, ne hoc vel illud pro tuo libitu seu velle quæsieris, sed integrè te in ipso posueris, unitum te invenies, & pacatum: quia nil ita bene sapiet & placebit, sicut beneplacitum divinæ voluntatis.

Quis.

Quisquis ergo intentionem suam simplici corde sursum ad Deum levaverit, seque ab omni inordinato amore, seu displicentia cujuslibet rei creatæ, evacuaverit, aptissimus gratiæ percipiendæ, ac dignus devotionis munere erit.

Dat enim Dominus ibi benedictionem suam, ubi vasa vacua invenerit.

Et quantò perfectius infimis quis renuntiat, & magis sibi ipsi per contemptum sui moritur, tantò gratia celerius venit, copiosius intrat, & altius liberum cor elevat.

4. Tunc videbit, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor ejus in ipso, quia manus Domini cum eo; & ipse se posuit totaliter in manu ejus usque in sæculum. Ecce sic benedicetur homo, qui quærit Deum in toto corde suo, nec in vanum accipit animam suam.

Hic in accipiendo Sacram Eucharistiam magnam promeretur divinæ unionis gratiam, quia non respicit ad propriam devotionem &

consolationem, sed super omnem devotionem & consolationem, ad Dei gloriam & honorem.

CAPUT XVI.

*Quòd necessitates nostras Christo aperire, & ejus gratiam postulare debemus.*

VOX DISCIPULI.

I. **O** Dulcissime atque amantissime Domine, quem nunc devotè desidero suscipere, tu scis infirmitatem meam, & necessitatem, quam patior: in quantis malis & vitiis jaceo; quàm sæpè sum gravatus, tentatus, turbatus & inquinatus.

Pro remedio ad te venio, pro consolatione & sublevamine te deprecor.

Ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, & qui solus potes me perfectè consolari, & adjuvare.

Tu scis, quibus bonis indigeo præ omnibus, & quàm pauper sum in virtutibus.

2. Ecce



2. Ecce sto ante te pauper & nudus, gratiam postulans, & misericordiam implorans.

Reſice eſurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præſentiæ tuæ.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia gravia & contraria in patientiam; omnia infima & creata in contemptum & oblivionem.

Erige cor meum ad te in cœlum, & ne dimittas me vagari ſuper terram.

Tu ſolus mihi ex hoc jam dulcefcas uſque in ſæculum; quia tu ſolus cibus & potus meus, amor meus & gaudium meum, dulcedo mea & totum bonum meum.

3. Utinam me totaliter ex tua præſentia accendas, comburas, & in te transmutes; ut unus tecum efficiar ſpiritus, per gratiam internæ unionis, & liquefactionem ardentis amoris!

Ne patiaris me jejunum & aridum  
à te

à te recedere, sed operare mecum misericorditer, sicut sæpiùs operatus es cum Sanctis tuis mirabiliter.

Quid mirum, si totus ex te ignescerem, & in me ipso deficerem, cum tu sis ignis semper ardens, & nunquam deficiens; amor corda purificans, & intellectum illuminans?

### C A P U T XVII.

*De ardenti amore, & vehementi affectu suscipiendi Christum.*

#### VOX DISCIPULI.

I. **C**UM summa devotione & ardenti amore, cum toto cordis affectu & fervore desidero te Domine suscipere, quemadmodum multi Sancti, & devotæ personæ, in communicando te desideraverunt, qui tibi maximè in sanctitate vitæ placuerunt, & in ardentissimâ devotione fuerunt.

O Deus meus, amor æternus, totum bonum meum, felicitas interminabilis, cupio te suscipere cum vehementissimo desiderio, & dignissimâ reverentia, quam aliquis Sanctorum

torum unquam habuit, & sentire potuit.

Et licet indignus sum omnia illa sentimenta devotionis habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac si omnia illa gratissima inflammata desideria solus haberem.

Sed & quaecunque potest pia mens concipere, & desiderare, hæc omnia tibi, cum summa veneratione & intimo favore, præbeo & offero.

Nihil opto mihi reservare, sed me ac omnia mea tibi sponte & libentissimè immolare.

Domine Deus meus, creator meus, & redemptor meus, cum tali affectu reverentia, laude & honore; cum tali gratitudine, dignitate & amore; cum tali fide, spe & puritate, te affecto hodie suscipere, sicut te suscepit & desideravit sanctissima mater tua gloriosa Virgo Maria, quando Angelo evangelizanti sibi Incarnationis mysterium, humiliter ac devotè respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

3. Et

3. Et sicut beatus Præcursor tuus, excellentissimus Sanctorum Joannes Baptista, in præsentia tua lætandus exultavit in gaudio Spiritus sancti, dum adhuc maternis claude- retur visceribus; & postmodum cernens inter homines Jesum ambu- lantem, valde se humilians, devoto cum affectu dicebat: Amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi: sic & ego magnis & sacris desideriis opto inflammari, & tibi ex toto corde me ipsum præsentare.

Unde & omnium devotorum cordium jubilationes, ardentes affectus, mentales excessus, ac super- naturales illuminationes, & cœli- cas visiones tibi offero & exhibeo cum omnibus virtutibus & laudi- bus, ab omni creatura in cælo & in terra celebratis & celebrandis, pro me & omnibus mihi in oratione commendatis; quatenus ab omni- bus dignè lauderis, & in perpetuum glorificeris.

4. Accipe vota mea, Domine Deus  
meus,

meus, & desideria infinitæ laudationis, ac immensæ benedictionis; quæ tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuæ jure debentur.

Hæc tibi reddo, & reddere desidero per singulos dies & momenta temporum; atque ad reddendum mecum tibi gratias & laudes, omnes cœlestes spiritus, & cunctos fideles tuos, precibus & affectibus invito & exoro.

5. Laudent te universi populi, tribus, & linguæ; & sanctum ac mellifluum nomen tuum, cum summa jubilatione, & ardente devotione magnificent.

Et quicumque reverenter ac devotè altissimum Sacramentum tuum celebrant, & plena fide recipiunt, gratiam & misericordiam apud te invenire mereantur, & pro me peccatore suppliciter exorent.

Cumque optata devotione, ac fruibili unione potiti fuerint, & bene consolari, ac mirificè refecti, de sacra mensa cœlesti abesserint, mei pauperis recordari dignentur.

CA.

## CAPUT XVIII.

*Quòd homo non sit curiosus scrutator  
Sacramenti, sed humilis imitator  
Christi, subdendo sensum suum  
sacra fidei.*

## VOX DILECTI.

I. **C**Avendum est tibi à curiosa & inutili perscrutatione hujus profundissimi Sacramenti, si non vis in dubitationis profundum submergi.

Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria. Plus valet Deus operari, quàm homo intelligere potest.

Tolerabilis, pia & humilis inquisitio veritatis, parata semper doceri, & per sanas Patrum sententias studens ambulare.

2. Beata simplicitas, quæ difficiles quæstionum relinquit vias, & planâ ac firmâ pergit semitâ mandatorum Dei.

Multi devotionem perdiderunt, dum altiora scrutari voluerunt.

Fides à te exigitur, & sincera vita;  
non

non altitudo intellectûs, neque profunditas myſteriorum Dei.

Si non intelligis, nec capis, quæ infra te ſunt; quomodo comprehendes, quæ ſupra te ſunt?

Subdere Deo, & humilia ſenſum tuum fidei, & dabitur tibi ſcientiæ lumen, prout tibi fuerit utile ac neceſſarium.

3. Quidam graviter tentantur de fide & Sacramento: ſed non eſt hoc ipsis imputandum, ſed potiùs inimico.

Noli curare, noli diſputare cum cogitationibus tuis, nec ad immiſſas à diabolo dubitationes reſponde; ſed crede verbis Dei, crede Sanctis ejus & Prophetis, & fugiet à te nequam inimicus.

Sæpè multùm prodeſt, quòd talia ſuſtinet Dei ſervus.

Nam infideles & peccatores non tentat, quos ſecurè jam poſſidet; fideles autem devotos variis modis tentat & vexat.

4. Perge ergo cum ſimplici & indubitata fide, & cum ſupplici reverentia ad Sacramentum accede. Et

Y

quid-

quidquid intelligere non vales, Deo omnipotenti securè committe.

Non fallit te Deus, fallitur, qui sibi ipsi nimium credit.

Graditur Deus cum simplicibus; revelat se humilibus; dat intellectum parvulis; aperit sensum puris mentibus, & abscondit gratiam curiosis & superbis.

Ratio humana debilis est, & falli potest; fides autem vera falli non potest.

5. Omnis ratio, & naturalis investigatio, fidem sequi debet, non præcedere, nec infringere.

Nam fides & amor ibi maximè præcellunt, & occultis modis in hoc sanctissimo & superexcellentiſſimo Sacramento operantur.

Deus æternus & immensus, infinitæque potentia, facit magna & inscrutabilia in coelo & in terra, nec est investigatio mirabilium operum ejus.

Si talia essent opera Dei, ut facile ab humana ratione caperentur, non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda.

INDEX.